Exponi autem poſſunt hæ fluxiones per Curvarum Ordinatas BD, BE, BF, BG, BH, &c. Ut ſi Ordinata BE $(=\frac{ADB}{1})$ ſit quantitas fluens, erit ejus fluxio prima ut ordinata BD. Si BF $(=\frac{AEB}{1})$ ſit quantitas fluens, erit ejus fluxio prima ut Ordinata BE & fluxio ſecunda ut Ordinata BD. Si BH $(=\frac{AGB}{1})$ ſit quantitas fluens, erunt ejus fluxiones, prima, ſecunda, tertia & quarta, ut Ordinatæ BG, BF, BE, BD reſpective.

Et hinc in æquationibus quæ quantitates tantum duas incognitas involvunt, quarum una eſt quantitas uniformiter fluens & altera eſt fluxio quælibet quantitatis alterius fluentis, inveniri poteſt fluens illa altera per quadraturam Curvarum. Exponatur enim fluxio ejus per Ordinatam BD, & ſi hæc ſit fluxio prima, quæratur area $ADB = BE \times 1$, ſi fluxio ſecunda, quæratur area $AEB = BF \times 1$, ſi fluxio tertia, quæratur area $AFB = BG \times 1$, &c. & area inventa erit exponens fluentis quæſitæ.

Sed & in æquationibus quæ fluentem & ejus fluxionem primam ſine altera fluente, vel duas ejuſdem fluentis fluxiones, primam & ſecundam, vel ſecundam & tertiam, vel tertiam & quartam, &c. ſine alterutra fluente involvunt: inveniri poſſunt fluentes per quadraturam Curvarum. Sit æquatio $aa\dot{v} = av + vv$, exiſtente $v = BE$, $\dot{v} = BD$, $z = AB$ & $\dot{z} = 1$, & æquatio illa complendo dimenſiones fluxionum, evadet $aa\dot{v} = av\dot{z} + vv\dot{z}$, ſeu $\frac{aa\dot{v}}{av + vv} = \dot{z}$. Jam fluat v uniformiter &

ſit